



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De fame quae regnante Claudio accidit, & de Iacobi Apostoli martyrio.
Cap. VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

De fame qua regnante Claudio accidit, & de Iacobi
Apostoli martyrio. CAP. VIII.

C Aio vero, cum nō quatuor integros imperij sui an-
nos compleisset, Claudius imperator successit. Cu-
ius temporibus cum dira fames (quam quidem scri-
ptotes etiam à nostra religione alienissimi suis tradide-
runt historijs) orbem terrarum opprimeret, Agabi pro- *Acto. 124*
phetæ prædictio, vt est in Actis Apostolorum, quæ fa-
mem per totum orbem peruasuram, præsignificauerat,
exitum plene consecuta est. Lucas vero vbi famem sub
Claudio futuram in Actis recensuerit, & fratres, qui An-
tiochiæ habitabant, per Paulum & Barnabam singuli pro-
facultatibus, quibus abundabant, discipulis in Iudæa di-
sperfis aliquid misisse subsidij narrauerit, illud etiam ad-
iungit. Eodem tempore, Claudio videlicet iam sum-
mam rerum administrante, misit Herodes rex vt afflige- *Act. 125*
ret quosdam de ecclesia. Occidit autem Iacobum tra-
trem Ioannis gladio. De isto Iacobo Clemens in septi-
mum librum ἱστορικῶν historiam planè memora-
bilem inserit, eamque narrat quasi ex traditione maio-
rum acceptam: nimirum cum ipsum, qui Iacobum in iu-
diciū adduxisset, cum testimonium Christo illum tam
libere perhibentem cerneret, ea re commotum, se etiam
Christianum ingenue confessum esse. Igitur ambobus
vnà ad supplicium adductis, hunc inter eundem à Iaco-
bo postulasse, veniam sibi concedi. Iacobum autem pau-
lulum rem animo complexum dixisse: pax tibi, illumque
osculatum esse. Et sic tandem vtrumque securi percus-
sum vitam deseruisse. Ad extremum (sicut diuina loqui-
tur scriptura) Herodes videns illud, quod erat de in-
terneccione Iacobi patratum, Iudæis non parum adferre
voluptatis, Petrum etiam apprehendere aggreditur.
Cui in vincula coniecto parum aberat, quin cedem intu-
lisset, si non diuina quædam angeli visio ei noctu assis-
tens è custodia & vinculis illum mirifice & præter omnium
opinionem liberasset: atque adeo ad ministerium prædi-
cationis dimisisset. Verum de rebus à Petro gestis diui-
nitufque administratis, hæc isto modo.

D 3 *Qued*